

minus erat de se indeterminata et pendens a Deo, quam modo sit, et Deus non minus præsciebat quæ vocatio futura esset homini congrua, in illo statu quam in isto. Et ita sentit aperte Augustinus lib. 8 Genes. ad litter., cap. 12; idemque significat in Enchirid., cap. 106, circa finem, dicens: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret*, ubi de adiutorio efficaci loquitur; et lib. de Natur. et grat., c. 48, contra Pelagium, dicit quod, etiam in natura sana et integra, ut homo non peccaret, fuisset illi necessarium adiutorium Dei, sicut lumen est necessarium oculis ad videndum.

8. Neque in priori loco contrarium sensit; nam ibidem de gratia primi hominis ait: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum*, quibus verbis aperte significat habuisse Adam gratiam efficacem ad illam bonam voluntatem, quam ante peccatum habuit. Quia vero in illa bona voluntate non perseveravit, dicit non accepisse gratiam, qua perseveraret, sed qua posset perseverare, si vellet; nam si priorem accepisset, perseverasset, ut ibidem Augustinus subjungit. Unde nunquam dicit Augustinus dari potuisse in illo statu perseverantiam sine efficaci auxilio, sed solum dicit de facto non fuisse datum tale auxilium, quia effectus ejus datus non est, nunc vero dari multis, quæ duo certissima sunt. Insinuat autem Augustinus, in eo loco, in natura lapsa esse necessarium peculiare donum perseverantiæ, quod non ita erat in statu innocentiae necessarium, propter corruptionem naturæ, quæ non omnino sanatur per gratiam habitalem, ut bene explicat divus Thomas, quæstione centesima-nona, articulo nono, in corpore, et articulo decimo, ad 3, et nos latius infra, tractando de perseverantia, dicemus.

9. *Dubium tertium.* — Tertium dubium simile præcedenti esse potest de Angelis, an ipsis etiam necessarium sit auxilium efficax gratiæ ad bene operandum. Eadem tamen est ejus resolutio: nam Augustinus supra eodem modo de Angelis et de homine integro loquitur, eodemque modo est exponendus. Nam omnino eadem est ratio, supponendo, ut sæpe dictum est, actus justitiæ, etiam respectu angelicæ naturæ, supernaturales esse, et ideo indigere gratiæ auxilio, quod tunc in eis est efficax, quando effectum habet, nam tunc etiam cum illis operatur, et eos facit bene operari. Quo modo dixit Augustinus libro de-

cimo-secundo de Civitat., capite nono, Angelos qui perseverarunt fuisse amplius adjutos. Atque ita de Angelis etiam sensit Fulgentius, lib. 2 ad Thrasymun., cap. 2, ubi permanentiam sanctorum Angelorum in bono, tribuit singulari gratiæ Dei, *qui quos voluit, a casu pravitatis virtute sua defendit*; et cap. 3 ait, sicut sola virtus divina potuit hominem reparare, ita solam potuisse Angelum custodire. Idemque docuit Gregorius, libr. 1 Reg., cap. 1; et Anselm., lib. 2 de Casu Diabol., cap. 1 et sequentibus; et Bernardus, sermon. 22 in Cantic.; et indicat Basilius, libr. de Spirit. Sanct., cap. 16. Et quamvis hi Patres de perseverantia loquantur, tamen, cum in Angelis perseverantia, sicut et via, uno actu consummetur, eadem ratio de singulis actibus, quæ de tota perseverantia existit. Est autem ratio supra tacta, quia vel prædestinatio, vel præscientia, et prædefinitio gratiæ congruæ, non minus in Angelis quam in hominibus locum habet, ut per se omnibus clarum est.

10. *Dubium quartum.* — Quartum dubium, quod in ultima ratione superiori capite proposita postulatur, est, an idem auxilium efficax ad omnes actus pietatis sufficiat, vel pro illorum varietate et distinctione multiplicari, et specie distingui necessarium sit: loquor autem de distinctione specifica, quia de numerica nullum potest esse dubium, quia hæc auxilia transeunt cum actibus, quia in actuali motione consistunt, et ideo cum illis etiam multiplicantur, saltem numerice. Est ergo dubium de multiplicatione specifica, quod etiam clarum habet resolutionem in auxilio efficaci comitante, quia illud in ipsomet actu intime imbitur tanquam via seu actio tendens in illum, et ideo necesse est cum actibus multiplicari, et pro varietate illorum distingui; nam actio a termino speciem sumit, et per illum distinguitur. Item hoc auxilium efficax non distinguitur a concursu Dei circa tales actus; at divinus concursus multiplicatur et distinguitur, pro varietate effectuum talis concursus, ut in lib. 3 dictum est; ergo eodem modo philosophandum est de hoc auxilio efficaci, neque in hoc aliqua occurrit difficultas. At vero, loquendo de auxilio efficaci præveniente, oportet distinguere juxta varios modos explicandi substantiam, causalitatem et efficaciam hujus auxilii. Qui enim dicunt esse motionem a solo Deo factam in nobis, et per se ac physice efficaciter efficere actum propter quem datur, consequenter dicunt hæc auxilia efficacia pro varietate actuum seu ef-

fectuum distingui; quia sunt principia per se illorum, et per illos specificantur, et ad modum habituum distinguuntur. Quod quidem, posito illo principio, facile sustineri potest, licet non careat dubitatione, an eadem species motionis efficacis sufficiat ad omnes actus ejusdem habitus, etiamsi contingat illos specie distingui, ut sunt amor, odium, desiderium, dolor, etc. Sed in hoc non immoror, quia est parvi momenti, et procedit ex falsa hypothesi, ut dicemus.

11. Juxta opinionem vero quæ in excitatione et causalitate morali efficaci hoc auxilium ponit, non est hoc dubium speciale de auxilio efficaci, sed de sufficiente etiam interrogari potest, quia in modo inclinandi et movendi voluntatem conveniunt, solumque differunt, quia unum cum effectu persuadet, et non aliud, quod sine dubio non provenit ex specifica diversitate, sed ex libertate arbitrii, et ex aliis circumstantiis, ut infra dicemus. De utroque ergo dicendum est, auxilium sufficiens et efficax interdum posse in sua entitate et specie multiplicari ac distingui, aliquando vero posse auxilium ejusdem speciei ad actus speciei diversos tribui et esse efficax. Declaratur exemplis utraque pars; nam ad actum eleemosynæ interdum inducitur quis timore pœnæ, interdum desiderio gloriæ, qui duo motus, dati per modum excitantis gratiæ, in sua entitate sunt specie distincti, et nihilominus inducunt ad eundem actum, quem uterque potest sine alio efficaciter efficere. Et e contrario motus timoris a Deo immissus, in una occasione inducit ad penitentiam, in alia ad remittendam injuriam, vel quid simile. Ratio autem utriusque partis est, quia hæc distinctio et causalitas non est per se, physice loquendo, sed moralis, unde non est de intrinseca ratione talis motus, ordo ad talem effectum, ut ab illo suam speciem sumat, sed ex prudentia et moventis potentia ad talem effectum accommodatur, juxta moralem capacitatem recipientis, ideoque potest idem actus fieri per plures motiones gratiæ efficacis specie distinctas, vel simul, vel divisim operantes, et e contrario possunt actus distincti per eandem præviam gratiam obtineri, vel successive et in diversis occasionibus, vel simul, si actus ipsi habeant inter se talem connexionem, ratione cujus simul fieri possint, juxta superius dicta in genere de gratia excitante.

12. *Objectio.* — *Solvitur.* — Dicunt autem aliqui, quando plura hujusmodi auxilia ad

eundem actum dantur, licet in entitate physica specie differant, in genere moris esse ejusdem speciei, quia ad eundem finem ordinantur, ut ad actum fidei, vel quid simile. Sed non video in his motibus propriam unitatem specificam, etiam moralem; nam intra genus causæ moralis possunt inveniri modi causandi eundem actum specie diversi; causa enim consulens, et causa petens ac rogans, causæ morales sunt specie diversæ, et licet ad eundem effectum concurrant, distinctionem in modo causandi conservant, nec possunt dici esse ejusdem speciei moralis, etiamsi in eundem effectum influant, quia unaquæque suo modo influit: sicut materia et forma, licet ad eundem effectum concurrant, non propterea habent aliquam unitatem specificam, neque in genere entis, neque in ratione causæ: non oportet ergo in his auxiliis, quando in se distincta sunt, et diversum modum causandi moralem habent, aliquam unitatem specificam fingere, propterea quod ad eundem actum concurrant. Et ita Prosper, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 26, numerando varios modos quibus Deus ad fidem homines trahit, *suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo*, nullam eis unitatem specificam tribuit, sed absolute plura præsidia seu auxilia divinæ gratiæ excitantis appellat, quæ, ut supra dicebam, possunt dici componere unum adæquatum auxilium sufficiens, vel efficax, non tamen per modum unius speciei, sed per modum unius collectionis causarum moralium concurrentium, vel necessariorum ad talem effectum; solum in genere gratiæ, et ut procedunt ex misericordia, seu gratuita liberalitate et amore Dei, possunt dici habere unitatem moralem specificam in ordine ad Deum moraliter operantem, eo scilicet modo quo actus externi, moraliter diversi, ex intentione finis possunt habere unitatem moralem in genere virtutis, seu boni moralis. Sed hæc consideratio extrinseca est ad propriam causalitatem et rationem auxiliorum gratiæ explicandam; nam, hoc modo, omnia beneficia divinæ gratiæ, ut moraliter procedunt a Deo, possunt dici ejusdem speciei, quatenus ab eadem liberalitate vel misericordia Dei procedunt. Hic ergo respectus hic non consideratur, sed entitas auxilii, vel modus causandi, et in his possunt auxilia data ad eundem effectum inter se distinctionem habere, et e converso idem auxilium potest ad

varios actus, in diversis temporibus vel occasionibus, hominem movere, ut explicatum est.

CAPUT IV.

UTRUM GRATIÆ EFFICACITAS CONSISTAT IN NECESSITATE QUAM INFERT VOLUNTATI, UT NON LIBERE SED NECESSARIO CONSENTIAT.

Puncta presentis difficultatis. — Quæ in præcedentibus capitulis de auxilio efficaci diximus, omnia pertinent ad exactam expeditionem quæstionis, an sit tale auxilium; nam ad illam spectat, tam necessitatem quam varietatem talis auxilii declarare, quod hactenus generatim præstitimus; nunc inquirendum superest quid sit tale auxilium, in quo tria includuntur, nimirum, quænam motio sit, quem modum causandi habeat, et unde quove modo habeat infallibilem connexionem cum suo effectu; quæ tria simul, ut occasio tulerit, tractabuntur, quia non possunt commode disputatione sejungi. Solum adverte ex illis tribus solum tertium posse directe pertinere ad dogmata fidei: nam circa duo prima nihil habemus expresse definitum, ut videbimus, ideoque incipimus a tertio puncto, quatenus in eo cum hæreticis est controversia, ut disputationem inter Catholicos expeditam relinquamus.

1. *Gratiæ efficacitas unde et quo modo habeat infallibilem connexionem cum suo effectu; punctum tertium.* — In puncto ergo proposito, duo sunt errores inter se in uno principio et fundamento consentientes, et in conclusionibus seu illationibus extreme dissentientes. Pelagiani enim, et Calvinistæ ac Lutherani in hoc conveniunt, quod efficacitas gratiæ consistit in quadam necessitate quam Deus infert voluntati, illam libere operari non relinquendo. Unde Pelagius eo colore gratiam negavit, ne libertatem negaret, cui efficaciam et necessitatem gratiæ repugnare credidit; et ideo fingebat se impugnare Manichæos, et similes hæreticos, negantes liberum arbitrium, cum gratiam impugnabat, teste Augustino, lib. 2 contra duas epistolas Pelagianorum, a principio, et aliis locis. E contrario vero, Lutherus, ut refert Concilium Senonen., in principio, nimis anxie fingens vitare Pelagium, factus est Manichæus; et ante Lutherum, præter Manichæos, Priscilianistas, Simonianos, eandem hæresim docuerunt, prope tempora Augustini, hæretici dicti *Prædestinati*, ut refert Faustus, lib. 4 de Grat., capite tertio, septimo et sequentibus; et Wicleph., ut refert

Walden. in Doctrin. fid. antiq., cap. 23; et postea secuti sunt Calvinum Melanchth., Beza, et alii novatores, ut supra lib. 4 retuli; et late Stapleton., in Promptuar. Cathol., feri. 6, in hebdom. 1 Quadrage., n. 4, et in Antidot. ex Actis Apostol., cap. 9, et lib. 4 de Justificat., cap. 1; Bellarmin., lib. 1 de Grat. et liber. arbitr., c. 11, et lib. 4, c. 14; lib. 6, c. 9 et 11; Ruard., art. 7; Roffens., art. 36, contra Luther.

2. *Lutherus qua libertatem arbitrii.* — Omisso autem errore Pelagii, quia in superioribus satis jam impugnatus est, et quia illatio, seu fundamentum ejus explicando concordiam gratiæ cum libertate arbitrii evertitur, de errore Lutheri et Calvinii hoc loco dicendum est. Et ut distinctius intelligatur, revocanda est disputatio ad actum elicited voluntatis, quo illa præbet consensum gratiæ moventi, quem proinde consensum appellabimus, sive sit amor, sive dolor, sive intentio, sive electio, sive alii similes, omnes enim fiunt per consensum voluntatis. Actus autem aliarum potentiarum, etiam ipsius fidei, prout est in intellectu, non sunt liberi, nisi per denominationem a consensu libero voluntatis: in hoc ergo tota disputatio versatur. In hujusmodi autem consensu tres proprietates necessariæ ad actum liberum distinguendæ sunt, scilicet, active fieri a voluntate, libenter seu voluntarie fieri, et cum indifferentia fieri, id est, cum potestate non faciendi illum. Lutherus ergo, ut radicem libertatem everteret, etiam primam conditionem actus voluntatis negavit; dixit enim non fieri ab ipsa effective, sed a solo Deo voluntati immitti, ipsa voluntate mere passive se habente. Inducebatque comparisonem figuli et luti, qua utitur per Jeremiam Deus: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, cap. 18; et per Isaiam, cap. 45: *Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis? Ad eamque alludit Paulus, Roman. 9, dicens: An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, et aliud in contumeliam?* Unde inferebat, sicut lutum non habet ullam activitatem circa formam quam artifex inducit, ita neque homo in actibus gratiæ, quos a Deo recipit.

3. *Respondetur.* — *Opera nostra quæ.* — Sed hæc sententia, quoad hanc partem, non solum hæretica est, sed etiam stultissima, et ab omni humano sensu aliena. Ut hæreticam ergo damnat illam Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 5, et can. 4, ubi anathematizat dicentes hominem, in conversione sua ad Deum, nihil

omnino agere, sed mere passive se habere; repugnant enim apertissime Scripturæ sanctæ exhortanti homines: *Convertimini ad me*, etc.; quis enim alium exhortetur ad recipiendum, quod a mera voluntate alterius dantis seu facientis pendet, nisi aliquid ipsum agere oporteat? Est ergo illa provocatio ad agendum, sicut et illa Petri, epist. 2, cap. 1: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*; opera enim nostra non dicuntur, nisi quæ a nobis fiunt. Unde subdit: *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando*; et similia verba, et consilia, et præcepta sunt infinita in Scriptura. Ut stultam vero rejicit illam sententiam, quoad illam partem, etiam ipse Calvinus, dicens: *Quis ita desipit ut hominis motionem a jactu lapidis nihil differre autumat? neque vero quidquam simile consequitur ex nostra doctrina: in naturales facultates hominis referimus approbare, respicere, velle, nolle*, etc. Præcipua vero rationis fundamenta, quibus improbanda est hæc pars, ex aliis duabus conditionibus sumenda sunt, quia nec voluntaria operatio, nec libertas actualis, nec liber usus, sine activitate ulla, in sola receptione intelligi possunt, ut mox dicam.

4. In secunda conditione nulla est controversia cum hæreticis; nam evidenti experimento percipimus nos libenter velle, cum volumus, et voluntarie facere quod volumus; unde neque ipsi hæretici inter se in hoc dissentiunt, ut existimo, quamvis revera Lutherus, consequenter loquendo et negando activitatem voluntatis in suis motibus, non potuerit voluntarium admittere, cum de ratione voluntarii sit ut sit a principio intrinseco cum cognitione, ut est quasi primum principium in doctrina morali, ut constat ex Aristotele, 3 Ethicor., et D. Thoma 1. 2, q. 6; nam quod ex me non prodit, sed ab alio extrinseco agente immittitur, non potest mihi esse voluntarium quoad ipsam actionem, vel effectum, licet receptio possit esse objective libera, et tunc oportet ut per alium actum a volente elicited sit volita. Quidquid vero sit de imperitia Lutheri, Calvinus, Bucerus et alii novatores non solum admittunt voluntarium in actibus gratiæ, sed etiam eo colore excusare volunt errorem suum in negando libertatem. Dicunt enim hominem libere operari, quia libenter operatur: et in hoc sensu dicunt esse in nobis liberum arbitrium a coactione, non a necessitate, et ita negant in operibus gratiæ tertiam conditionem actus liberi, quæ est indifferentia

potentiæ, a qua proxime procedit, ad agendum et non agendum, vel ad agendum hoc, aut oppositum ejus. Et hæc fuit sententia Calvinii, lib. 2 Institut., cap. 2, § 6, et aliorum.

5. Nec desunt inter Scholasticos, qui ad libertatem simpliciter sufficere putant libertatem a coactione quæ in actu voluntario invenitur, etiamsi libertas a necessitate desit; sic enim Scotus dixit Filium procedere libere a Patre, vel Spiritum Sanctum a Patre et Filio, licet necessario procedant, quia voluntarie producantur; et de amore Beatorum videntur eodem modo loqui; in quam sententiam inclinant Castro, verb. *Libertas*; et Cosmas Philarchus, lib. 2 de Causa Prædest., cap. 16; et clarius Jacob Naclantus, ad Ephes. 1, in digressionem, quod *prædestinatio libertatem non tollat*; et Michael Baius, in suis assertionibus, dixit solum violentiam repugnare libertati naturali, quia aiebat, *quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere fieri*. Et videtur nonnihil favere Augustinus, lib. 1 de Grat. Christi, cap. 13, dicens: *Præceptum libere facit, qui libens facit*, quæ verba in eum finem inducit, ut declaret gratiam efficacem non tollere libertatem, sed augere potius, quia cum magna suavitate facit libenter operari. Unde tract. 26 in Joann., exponens verba Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, inde ostendit tractionem libertati non repugnare, quia, si trahitur, voluntate trahitur, neque solum voluntate, sed etiam voluptate. Ac denique in aliis locis sæpe opponit libertatem coactioni, docetque gratiam Dei non cogere hominem, et ideo non tollere libertatem ejus.

6. Sed licet interdum Catholici illo modo loquantur, longe a sensu hæreticorum distant. Illi enim omnino confitentur esse in nostris actibus libertatem indifferentiæ, unde solum cum eis de nomine superest quæstio, an perfectum voluntarium, sine indifferentia, satis sit ut actus absolute possit *liber* appellari. Hæretici vero simpliciter negant indifferentiæ libertatem, et ita tota controversia cum eis est in tertia conditione actus liberi, nimirum ut cum indifferentia fiat, id est, cum libertate a necessitate. Nam hoc est quod Calvinus, Melanchth., Bucer. et alii maxime negant in voluntate nostra a Deo mota. Etenim, licet ipsi generalius loquantur, præcipue vero id contendunt de operibus gratiæ, et de omni consensu voluntatis, quam divina gratia in nobis operatur; unde, quia moraliter tunc dicitur quis agere quando seipsum libere movet, ideo in-